



1. Ho
2. Kir
3. Si
4. Ho
5. Ho
6. Ho
7. Ho
8. Ho
9. Ho
10. Ho
11. Ho
12. Ho
13. Ho
14. Ho
15. Ho
16. Ho



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
FEBRIBUS CONTINUIS
PAROXYZANTIBUS
SEU
INTERMITTENTIBUS EXTENSIS
QUAM
SUMMI NUMINIS AUSPICIO
CONSENTIENTE
GRATIOSA FACULTATE MEDICA
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN ARTE SALUTARI HONORIBUS
JURIBUS ET PRIVILEGIIS
IMPETRANDIS
H. L. Q. C.
DIE XXIX. AUGUSTI A. MDCCCLXXI.
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI VENTILANDAM SISTIT
AUCTOR RESPONSURUS
HENR. CHRISTIANUS HÖRLE
VORMATIENSIS.

ARGENTORATTI
Ex Officina Universitatis Heitziana,



C E L S I S S I M O
ATQUE
I L L U S T R I S S I M O
C O M I T I A C D O M I N O
D O M I N O
C A R . F R I D E R I C O
W I L H E L M O
S . R . I . C O M I T I L I N A N G Æ ,
D A G S B U R G I ,
D Y N A S T Æ I N A S P E R M O N T
&c. &c.

SAC. CÆS. MAJ. ACTUALI CAMERARIO, DIVI
HUBERTI NEC NON ELECTORALIS
ORDINIS PALATINI A LEONE AUREO
NUNCUPATI EQUITI
TORQUATO



D I S S E R T A T I O N E M

H A N C C E

I N A U G U R A L E M

S U B M I S S O A N I M I C U L T U

D A T , D E D I C A T , C O N S E C R A T

H E N R I C U S C H R I S T I A N U S H O E R L E



I
Serena admittas fronte, COMES ILLUSTRIS-
SIME! hoc, quicquid devotissimae mentis esse licuit.
Insigni Tua Clementia confusus, tenues has Studiorum
meorum primitias tanquam ingenium obſervantiae meae
documentum, meique animi Devotissimi pignus, ILLU-
STRISSIMO NOMINI TUO glorioſo conſecrare
ausus sum. Laeto adgredior animo laborem, quum
eximia Tua in Litteras earumque Cultores propenſio
nobis sit manifeſtissima. Accipe itaque, COMES
CLEMENTISSIME! quod munificulum, ceu teſſe-
ram & ſymbolum Devotissimi animi offero, indulgen-
tiffima mente. Quod reliquum eſt, Summum Numen



iteratis vicibus adorabo, ut Te in FAMILIAE
CLEMENTISSIMAE Decus ac Ornamentum,
omniumque, quos subditos regis, Florem, Spem ac
Salutem, litteratorum maximum Solamen & Refugium,
pietatis Augmentum, denique si & hoc addere licet,
praesidii & summi erga me favoris Auctorem, per lon-
gum annorum syrma felicissimum atque incolumem con-
servet. Vale! Argentorati Anno MDCCLXXI.





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

D E

FEBRIBUS CONTINUIS
PAROXYZANTIBUS & INTERMITTENTIBUS
EXTENSIS.

§. I.

Präternaturalis illa corporis humani constitutio, motum sanguinis progressivum vario tempore, vario gradu alterans, modo horrorem & frigus, modo calorem intensiorem adferens; cum pulsu ut plurimum celeri & frequente, & symptomatum de actionum omnis generis diversa laetione ac depravatione testantium vario concursu *Febris a) nuncupari solet.*

A

(2) 50

a) Malui sic *Febrēm* describere, quam cassō (ut plurimum fieri solet) conamine definire, cum consentientibus omnibus Medicis natura & proxima caussa universalis hujus morbi alte lateat, vid. Cel. OOSTERDYCKSCHACHT *Instit. Med. Praet.* Sect. I. Libr. I. Cap. I. ideoque nec illam hic questionem agitabo, num naturae instrumentum sit Febris, & ut quidem loqui amant, Medicina potius, quam morbus; vid. Cel. WERLHOF celebratissimus Tractatus de *Febribus* Sect. IV. §. 11. pag 131. seqq. Nemo certe negaverit, morbum esse, eumque saepe numero exitiosum; ex eadem vero ratione naturam actuosam in qualibet exacerbatione febrili evidente conspiciendam esse patet; morbus enim est certamen naturae propriam salutem propugnantis secundum Jll. GAU-
BIUM *Instit. Pathol.* §. 51. Si quæ alia, certe hæc definitio præ reliquis ad Febrēm quadrat.

§. II.

Horum motuum febrilium (§. I.) aliqua vicissitudo est, iisque non raro ita alternant, ut calor vel in uno intensionis gradu perduret, ac uno impetu ad finem perducatur, vel quibusdam temporum intervallis, interpolato apyrexias spatio recurrat, quibus durantibus pulsus naturali similis est, & calor ad gradum naturæ conformem reddit. Hinc priori statu ægrotantem *Febre continua*, posteriori vero *intermittente* laborantem saluare Medici solent.

§. III.

Ista vero periodi morbosī pars, qua adfectio intensitur, exacerbatur, & certis temporibus intensior reddit, cuius tamen duratio nullo temporis limite circumscripta est, dicitur *paroxysmus b)*. Hic igitur ubi post certa durationis intervalla aliquo modo remittit iterumque mox exacerbatur, ita, ut antequam alter paroxyfimorum definat, alter incipiat, indolem exquisitæ Febris continuae

(§. II.) exuit Febris, ac cum *intermittente* (§. cit.) conspirat; hinc ad *continuarum paroxyzantium f. intermittentiū extensarum* indolem proxime accedit.

b) In omni *intermittente* Febre $\alpha\pi\eta\epsilon\zeta\alpha\nu$, paroxysmum, circuitum & intervalum distinguit Cel. OOSTERDYCKSCHACHT Libr. & loc. cit. Cap. VII. §. 2.

§. IV.

Est itaque *Febris continua paroxyzans f. intermittens extensa* ejus naturæ, ut fere semper initio suo aliquid secum ferat ad *continui* indolem accedens c); cuius tamen paroxysmi ultra solitum tempus excurrunt d), dum febiles motus nunquam plane remittunt, sed tantum exacerbationes novas cum frigore & horrore periodice quidem, non vero statis temporibus proferunt. Vocatur ab aliis *subcontinua*, *remittens*, *subintrans* e). Differt tamen a Febre *intermittente tertiana* duplice, in qua non singuli paroxysmi, sed alterni sibi respondent; porro differt a Febre *intermittente quotidiana* exquisita, quæ rarissima est, ordinarie tempore matutino f. vespertino invadit, quotidie exacerbatur & post justa durationis intervalla remittit.

c) Ita monuit JLL. SYDENHAM. *Obser. Med.* Sect. I. Cap. V. ubi illud in autumnalibus epidemiciis ita evenire docet.

d) Docente jam CELSO, cui hæc Febris, uti reliquis veteribus, $\pi\mu\tau\pi\tau\alpha\sigma$ sive *semitertiana* audiebat, *de Medic.* Libr. III. Cap. 8.

e) Veteribus *semitertianam* audiisse Febrem nostram testatur mox cit. CELSI locus & alias GALENI de different. *Febr.* Libr. II. Cap. VII. ita & inter recentiores Cel. MEAD. *Monit.* & *Precept Med.* Sect. VIII. Opp. omn. pag. 473. &c. OOSTERDYCKSCHACHT Libr. & loc. cit. Cap. IX. Subcontinua malignans est Cl. TORTI *Therap. Speciali* Libr. III. Cap. I. pag. 143. & seqq. & Libr. V. Cap. V. *Subintrans* LAZAR. RIVER. *Prax. Med.* Libr. XVII. Sect. II.

Cap. III. pag. 437. Semiteriana, tertiana continua duplex Cel. WERLHOFF. *Observat. de Febris* Sect. II. §. 7. pag. 61. Quotidiana deceptiva Cel. SAUVAGES *Noſol. Meth.* Cl. II. Ord. III. Gen. IX. Spec. 2. huc & hemitritaea notha Gen. XVII. Spec. 9. Tritæophia deceptiva Gen. VII. Spec. 10, & Tertiana notha Gen. X. Spec. 2. apud Eundem.

§. V.

Duplex itaque revera est Febris *continua paroxysmorum* (§. IV.), certo veluti connubio juncta, nempe ex *continua* (§. II.) & *intermittente* (§. cit.) conflata, quæ ut rarius accedit, ita difficilior noscitur f).

f) Ex continua quotidiana & intermittente tertiana componi GALENI sententia est, vid. loc. cit. & sic sibi invicem nubere continuas cum intermittentibus omnis generis SYLVIUS docet *Libr. citat.* Cap. XXVII. §. 12. alii placet, continuam esse intermittentium catenam articulis quasi inter se junctam, ut nulla adpareat approximatio e. gr. JLL. SYDENHAM l. cit. JLL. VAN SWIETEN *Comment. in Bærbæv.* Tom. II. §. 748. & CL. WERLHOFF. l. cit. CL. TORTI ex intermittentium genere esse existimat, prout vero in continuam degenerantem *Libr. V. Cap. V.* Qua vero ratione hæc inter se concilianda; facile existimo, cum re convenient, verbis tantum dissentiant, continui quid certe ex omnium consensu in hac Febre conspicitur.

§. VI.

Ingruit hæc Febris g) tensionibus artutum, crebris oscillationibus & pandiculationibus, mox ubi invasio instat, densari habitus corporis externus videtur, homo pallere incipit, & mox refrigerationis sensum a lumbarum dorsique regione exortum & totum corpus percurrentem sentit, initio quidem unius horæ talique motu, qui reptatum formicarum imitatur; mox tamen frigus sensibilius evadit ac per gradus increscit, ut homo toto

corpo exhorrefcat, contremiscat, dentibus strideat. Sequitur tandem summus frigoris gradus, scilicet rigor, quo quidem non amplius quidem contremiscit, sed præ frigore totus torpidus & ad sensum motumque inhabilis deprehenditur æger. Atque hic est primus quasi æstus Febris, s. *principium*, quod alias lenius & benignius habet, alias gravius & diutius detinere solet.

- g) Febris hujus ingressum, agmen ac decrementum pulchre perhibet
 TORTI *Libr. 23 loc. cit. ut & Libr. IV. Cap. V.* quo loco plures
 de ea historias narrat. vid. & RIVER. *Prax. Med. I. c. Cap. VII.*
 ubi de Hemitritæ loquitur, quem cum veteribus ex continua &
 intermitente compositum facit, eandem enim esse subintrantem
 five subcontinuam Autorum (vid. not e) cum hemitritæ demon-
 strat Cl. TORTI *Therap. spec. Libr. V. Cap. V. pag. 317. & seqq.*

§. VII.

Hoc frigus per horæ spatum plerumque durat, raro breviori tempore aut longiori percipitur. Post frigus subsequitur *languor* quidem corporis, quasi prostratus homo esset, adjuncto fastidio & nausea, sèpe in vomitum abeunte, aut evacuationem alvinam producente.

§. VIII.

Pulsus toto hoc tempore primo parvus vix perceptibilis & tardus, tunc celer & fatis frequens.

§. IX.

Subsequitur *æstus*, quo habitus corporis antea pallidus & collapsus nunc sensim coloratur & incalescit. Ita vero succedit hic calor per gradus, ut tandem æger incredibilem æstum fentiat siccum cum inquietudine insigni,

siti, siccitate oris. Pulsus tunc est magnus, plenus, celer & frequens. Atque si per horas duodecim & ultra hominem detinuit, tandem decedit succedente, qui illum sensim dissipat, *fadore spontaneo* in juvenibus & succulentis fatis largo.

§. X.

Quando jam finito frigore ad æstum ægrotus transit, tunc est *incrementum morbi*, ubi æstus maxime urget, *is status* dicitur. Decrementum vero supputatur ab illo momento, quo habitus corporis externus laxatur atque transpiratio & sudor primum percipiuntur.

§. XI.

Declinante paroxysmo (§. III.) corpus ad statum naturali similem redire videtur, nisi quod toto illo schemate actiones naturales ut plurimum in tantum læse sint, ut certos cibos & potus abhorreant pessimeque ferant ægrotantes, ut & plerique durante Febre marcescant & extenuentur. Animales etiam actiones admodum languent, ita, ut homo nulli serio negotio tunc aptus inveniatur.

§. XII.

Vix autem Febris descripta (§. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI.) per aliquot horas ab exacerbationibus suis paululum remittit, nec ad plenariam intermissionem (§. II.) unquam pervenit, sed novis ac intensioribus insultibus cum frigore nempe & horrore ac subsequente æstu insigni denuo invadit ægros. Hinc postulari nequit, ut ex prima morbi accessione Medicus possit prædicere, qualis futura sit Febris etiam non expectata altera accessione b).

b) Difficillimam esse diagnosin nostrae Febris & veterum & recentiorum Scriptorum testimonia confirmant, vid. CELSUS Libr. III. Cap. 8. JLL. SYDENHAM. JLL. VAN SWIETEN & Cel. SAUVAGES locc. citt.

§. XIII.

Gravior deprehenditur status, si paroxysmus horas duodecim excedit, aut symptomata graviora, ut convulsiones epilepticæ, delirium, sopor continuus, excessiva cephalalgia, virium omnimoda prostratio accedit, vel urina crassa, coloris saturate rubri, crocei lixivii, in quibusdam etiam ad nigrorem vergentis, valde foetens, hypostasi lateritia insignis & præsertim cum frequenti mictatione & dysuria aut stranguria prodiens, obviam fiat i).

i) Multos alioquin sui generis morbos Febri posse adjungi, sive quoque ejas personam induere pulchre ostendit Cl. MORTON de *Febris* Exercit. I. Cap. IX. & Exercit. II. Cap. XI præfertini apoplectice Febres atro carbone notandæ sunt, de quibus Cel. WERLHOFF. *Obj. de Febrib.* Sect. I. §. 1.

§. XIV.

Febris descripta (§. IV.) sine discrimine omnem quidem sexum, ætatem & corporis habitum infestat, sexus tamen virilis facilius ei obnoxius est, quam foemininus. Familiaris quoque ætati potius consistenti est, quam annosiori. Item vegetiores homines magis corripit, quam seigniores sive incuriosos. Porro hunc morbum incurare solent homines nervis & visceribus, cerebro inprimis ac hepate debilioribus instructi, temperamenti sanguineo-cholerici, vel cholericо-melancholici; ad irani prompti, quibus irritabiliora solida; fluida adeoque ad eam discrasiam proniora sunt, quæ a Veteribus atrabilis nomine in-

signita fuit, unde & viscerum robur frangitur; qui non solum insigniter plethorici sunt, verum etiam vitio simul qualitatis sanguinis, ut scorbuto laborantes; mensium & hæmorrhoidum aut aliarum excretionum turbis anomalis obnoxii; ii, quibus ulcera aut scabies male sanata, sive interdum ineptis medicationibus, præprimis calidioribus ac adstringentibus incongruis retropressa sunt, tandem & qui gravibus diætae vitiis crassis simul terreis particulis austeriorisque mixtos succos generant.

§. XV.

In omni Febre duplicum observari compertum est motum, alterum a peripheria ad centrum sub frigore & horrore (§. VI. VII. VIII.), alterum a centro versus peripheriam, sub quo calor redit, intenditur, tandemque transpiratione reddita sensim defervescit (§. IX.). Prior toto genere præternaturalis est, & interdum periculum vitæ adfert *k*); alter motus in eo tantum præternaturalis est, quando mediocritatem & tranquillitatem naturæ solitam excedit. Quoniam vero isti humorum ad interiora confluxui resistit, eumque postea debellat, merito habetur pro salutari, & virium corporis intensioni tribuitur.

k) Vid. JLL. VAN SWIETEN *Comment. in Aphorismos Bærb.* §. 749.
hunc motum præternaturalem ideo voco, quia vim pati natura videtur, quamdiu symptomata ad agmen pergunt, proprio deinde marte, dum insurgit, reliquum Febris stadium persolvens.

§. XVI.

Spasmodicum illum (§. XV.) duplicitis generis motum in Febre nostra (§. IV.) adesse & non frustra considerari docet attentior observatio *l*).

Eq

¶ Eo magis hic considerandum esse duco, quod longioribus paroxysmis corporis vires insigne detrimentum patientur necessario.

§. XVII.

Cognoscitur signis conspicuis in Febre continua paroxyzante (§. IV.) primarum viarum aliquod vitium, quod & consentientibus ventriculi visceribus commune esse videtur *m)*, unde cum naufea, vomitibus, diarrhoeis (§. VII.), fere semper conjuncta est, & ab his rite facileque succedentibus medelam etiam sive saltem sublevationem accipit. Atque ita deducit nos hæc observatio ad inquirendum hujus Febris originem sive causam antecedentem propinquam.

m) Vid. Cel. SAUVAGES *Noſo!* Meth. Cl. II. Ord. III. Gen. X. Spec 2, addit & nimium stragulorum calorem intermittentes in nostræ Febris genium mutare; idem testatur VAN SWIETEN *Comment.* T. II. §. 748.

§. XVIII.

Istud vero vitium (§. XVII.) vel consistit in *cruditatibus* ex diætæ variis erroribus successive collectis & in ventriculo aut duodeno ipsa mora & succorum confirmatione acrioribus redditis & corruptis, vel potissimum ex *aëris ambientis vitiis* producitur. Hinc interdum Febrem continuam paroxyzantem perspicimus epidemice graffantem *n).*

n) Febris autumnalis intermittentis nostræ Febris genium sèpiuscule induere autor est Jll. SYDENHAM. *Obs. Med.* Cap. V. p. m. 51. vidit, & Jll. VAN SWIETEN *l. c.* vix æstate aut autunno Cel. WERLHOFF. *Obs. de Febr.* Sect. II. §. 7. pag. 62. Julio mense præcipue notas tertianas ingruere Cel. SAUVAGES docet *l. c.* Gen. X. Spec. 2.

B

§. XIX.

Ita scilicet comparatum est fluidum illud catholicum, grave, mobile, elasticum, ac tanquam Chaos o) (ut scite a quibusdam depingitur) infinitorum corporum ipsi innatantium & volitantium, quod nos ambit, & corpora nostra multis modis subit, ut nondum valeamus satis a priori pervidere, quot modis humores nostros alteret, a posteriori autem cognoscimus, quod illud nimis frequenter fiat p). Sic observamus alio quidem tempore illud lymphaticum genus tantum afficere, producendo gravedines, coryzas, tusses, alio glandulas colli populariter infestari, ut tonsillæ intumescant cum vicinis glandulis; rursus alio tempore bilis simul pluribus commovetur, ut icterus quidem levis in pluribus enascatur, atque simul etiam dispereat. Nec dicam de dysenteriis nunquam non epidemicas, adeoque commune aliquod vitium in aëre oberrans arguentibus.

o) Vid. Jll. GAUB. *Institut. Path.* §. 440.

p) Plenam aëris historiam pathologicam exhiberi haud posse testatur idem Vir Jll. ibid. §. 441.

§. XX.

Quamvis vero aër, qualis est aestivus, magis quam allo alio tempore humorum motum intendit, atque adjuncta forte humiditate fibris relaxandis aptissimus fiat q), caloris quoque & frigoris crebræ vicissitudines in poris vel relaxandis vel constringendis plurimum possunt, vix tamen ex his primis qualitatibus satis deducere possumus, qui fiat, ut Febres continuæ paroxyzantes (§. IV.) hoc anno obveniunt, alio tamen, quum similis, quoad humiditatem, calorisque ac frigoris vicissitudines ratio ob-

servetur, Febris tamen hæc non tantopere in populum
grassatur. Quare pro epidemias, saltem constitutionibus
intermittentes extensas (§. IV.) crebras adferentibus, su-
spicari cogimur, singularem adesse quandam qualitatem,
nondum forte satis exploratam, quæ ex aëre suscepta
præcipue primis viis labem aliquam profundiorem affricet.

¶ Vid. idem GAUBIUS §. 430. n. 8. Pertinet huc & HIPPOCRAT.
Aphor. XXI, Sect. III.

§. XXI.

Id vero maturiori explorationi commendatum esto.
Nos interea videbimus, quo pacto aëris primæ illæ &
simplices qualitates primas vias colluvie acrum fordium
implere, hæque inventis ibi jam ante cruditatibus socia-
tæ totum corpus impensius deinceps lædere & alterare
possint. Proprietates illæ sunt *caliditas*, *frigiditas r*),
hæque ambae brevi tempore sèpius mutuo sese excipien-
tes. *Humiditas*, quam & ex aqua, pluvia, & fluviorum
exundantium, & ex terra calore radiorum solarium con-
trahit aér, præterea vero ex plantis, frugibus arboribus
recens germinantibus exhalant, alienæ particulæ, partim
quoque insectorum visum fugientium multitudine per-
miscetur, adeoque variis heterogeneis repletur fluidum
illud aëreum.

r) De variis aëris vicissitudinibus, earumque in corpore humano ef-
fectibus tota Jll. GAUBII Sectio legenda est *Instit. Path.* §. 422-443.

§. XXII.

Ratione *calidatis* sanguinem expandit, expansio fa-
cit, ut majus spatum occupet humor expansus, quam
antea, ergo urget latera vasorum & augebit eorum dia-

metros, ergo etiam extrema & minima vasa; ergo intendet exhalationem & transpirationem. Frigiditas aëris (§. XXI.) in genere quidem contraria efficit priori qualitati, tanto autem magis & certius, sicuti frigiditatem comitetur humiditas, quam poros apertos constringere, & transpirationem supprimere, apud omnes in confessu esse persuadeor. Itaque si utriusque potestatis in humores & vasa efficaciam intra breve temporis spatum sèpius & alterne exserat, transpiratio mox movebitur, mox supprimetur. Ubi supprimitur ob poros constrictos transpiraturæ materiei in extremitatibus vasorum ad superficiem desinentium hærentis copia detinebitur, detenta cumulabitur, atque subsequentibus dein humoribus calore & celeri cursu ferventibus obstructionum augmentum fiet^s). Itaque vasa ista extrema, quorum fines sunt pori, turbgebunt, nervorum extremitates reti cutaneo implexas partim prement, partim trahent & tendent, i. e. spasmoidice affident.

s) Vid. GAUBII lib. cit. §. 560. sq.

§. XXIII.

Quæ hactenus exposui, manifeste illustrant, cum & pessima intra breve tempus, sèpius repetita facile in consuetudinem abeant, quo crebrius transpiratio provocatione, intendatur, supprimatur, eo magis disponi corpora ad habitum spasmodicum, in solidis subeundi, quibus sèpius strictroræ excitantur.

§. XXIV.

Quum vero transpiratio maxime auferat ex humoribus nostris particulas & superfluas & nocituras t), non

folum illæ, quæ jam secretæ sunt, & in extremis vasis subsistunt (§. XXIII.), remanent, sed istæ quoque, quæ proxime erant fecernendæ; repelluntur igitur sive a venis revehentibus, communi humorum massæ refunduntur, redundant ad alia organa, nec modica parte ad illud amplissimum excretorium, cui cum superficie externa mutua analogia atque consensus intercedit, intestinalem canalem, in quem omnis generis humores confluent *u*).

t) Vid. JLL. DE HALLER. *Pr. Lin. Phys.* §. 441.

u) Materiem perspirabilem suppressam, sicuti ad omnia fere corporis organa, pro datis circumstantiis deponi visa esse, ita & ad canalem intestinalem deferri non infolens phænomenon est; hinc & sèpè inde diarrhœa, sive hæc aliunde nata, perspirationis imminutio, vid. JLL. HALLER. *ibid.* §. 36. & 39.

§. XXV.

Et quid impedit suspicari ventriculum, duodenum & mesenterium facile & solemniter luere, si qua ex causa ortus in remotis partibus fuit spasmus, qui habitum externum constringit.

§. XXVI.

Sive igitur cruditates in primis viis a diætæ vito (§. XVII.) adfuerunt jam initio, cum quibus illæ per cutaneæ transpirationis actum toties interpellatum & interruptum, vel intus detentæ vel auctæ & amplius corruptæ impuritates coiverunt; sive a solo aëris epidemio vito (§. XVIII.) productæ & ad hepar duodenum vicinasque partes delatae & depositæ sint, illis sua, quam secum ferunt, indole primas vias infestando fibris inducunt molestam sensationem, quam contractio sequitur; eaque ad majores nervorum plexus propagata ex legibus consen-

fus, qui nervoso systemati cum vasorum virtute intercedit, ad arterias quoque propagatur, stringitur eorum diameter, sicque oritur spasmus ille (§. XV. XVI. XXI.), quem omnis Febris adeoque & continuæ paroxyzantis (§. IV.) individuum comitem esse supra monuimus.

S. XXVII.

Cauſſe antecedentes remotæ ſive procatarethice plures eſſe poſſunt. Sed præter illas, quæ in аſſumtorum qualitate, quantitate, ordine & tempore committuntur aberrationes, præcipue attendenda eſt humorum conſpicua abundantia, quæ corpora fuſciendiſ ab aere comotionibus & alterationibus aptiſſima reddit.

S. XXVIII.

Neque parum facit iracundia, præſertim ſuppreſſa ^{x)}, refrigeratio diuturna in locis umbroſis & humidis admiſſa, ſcabies retropulſa, gonorrhœa adſtrigentibus cohibita, fontium mineralium improvidus uſus.

^{x)} Iracundia in digestionis vitia impeneſe ſævit, vid. Jll. GAUB. 4. c. §. 542.

S. XXIX.

Aliquando epidemiac obſervantur (§. XVIII.), fere que hoc accidit, quando aestas calida & ſicca præceſſit, & autumnus copioſiores pluvias initio ſuo ad fert præ conſuetudinem durabiles ^{y)}.

^{y)} Prout §. XVIII. Jll. GAUB. not. 22. diximus. Conſentit HIPPOC. Aph. XXI. & XXII. Sect. III.

§. XXX.

Visæ etiam sunt, quæ vere inflammatoriis stasibus, tum vero etiam ad illas proclivibus dispositionibus fuere adjunctæ, adeoque secundariæ ^{z).}

^{z)} Vid. Cel. WERLHOFF. *Olf de Febr.* Sect. II. §. VII. præsertim hoc evenire oportet, ubi a stragulorum caliditate exacerbata intermittens continua paroxyzans genum induit.

§. XXXI.

Febris continua paroxyzans (§. IV.) duplex est Febris, continua nimirum & intermittens (§. V.). Quare considerandum est ex symptomatibus, cuius indolis sit illa continua acuta, quæ utpote vitæ periculum minitans præcipue debet curari.

§. XXXII.

Attendendum igitur præcipue, qui morbi ex prægressæ vel præsentis constitutionis indole nasci soleant, aut in vicinis forte regionibus graffentur. Sic vernali tempore tussis, pleuritides, anginæ tonsillæ admodum crebræ sunt, nec raro emicant varia humorum per exanthemata defluxiones ^{a)}, etiam sanguinis excretiones varia evenire solent, eoque, magis, cum sanguis crebras ab aëre expansivo & rarefacto exagitaciones (§. XXII.) patiatur, quare non mirum, si tertianis primo vere exortis conjungantur magis vel minus conspicua symptomata, fauces, pectoris & caput affligentia; quorum copia in humoribus decubentibus latent, excretione s. sanguinea s. alia cūuscunque generis eliminandis.

^{a)} HIPPOCRAT. *Aph.* XX, Sect. III.

§. XXXIII.

Igitur triplam fere indolem requiri manifestum est, ad quarum unam continua Febris proprius accedat, vel catharralem mucidam itas in, vel mucido-sanguineam, vel sanguineam sinceram, ad inflammationem, nisi dissipetur, ruituram, cui triplici genio aliquando ex populari constitutione accedit, aliquid specificie malignum b) (§. XIX. XXI.) ex contagio quodam autumnali per hyemem superpresso nunc quasi reviviscente & renovato.

b) Pertinet huc, ubi videtur morborum historiæ, quas sub subcontinua malignantis nomine exhibet Cl. TORTI *Therap. Spec. Lib. IV. Cap. II. p. 219.*

§. XXXIV.

Quando autem accendentibus caloribus æstivis salinæ oleofæque sanguinis nostri particulæ evolvuntur, exagitantur & ad putredinem disponuntur c) caufodes, chole riodes, lientericæ, torminosæ passiones facile se se adjungunt, unde visceribus potissimum hypochondriacis inflammatoria stïsis imminet & adfertur. Atque quo magis autumnus accedit, eo frequentiores fere & graviores continuæ paroxyzantes visuntur.

c) Vid. Jll. GAUB. loc. cit. §. 424. nec negaverit quis, obvolitare tam in ipso aëre miasmatis quid, ad eundem effectum producendum idoneum.

§. XXXV.

Quum vero hæc omnia doceant ampliorem concursum caufarum morbificarum, quæ se ordinariis Febrium intermittentium causis adjungunt, easdemque implicant, & adaugent,

adaugent, prudenter æstimandum est, quid magis urgeat, ut isti prius occurratur, ea quidem via, quæ sit expeditissima.

§. XXXVI.

Febres continuae paroxyzantes (§. IV.) ob morbi non raro supervenientis vel occulti rationem, periculi neutiquam expertes pronunciandæ *d)*, hinc laudes securitatis, quas antiqua experientia Febribus remittentibus ac intermittentibus universim decrevisse putatur, omnino moderandas esse, nemo prudens diffitebitur *e)*. Ut enim malignam contumaciam ex quacunque causa ex consueta sibi indole deflectentem & lenta corporis corruptelas taceam, quæ paroxysmi intercessione (§. III.) morbi vehementiam inducunt, pluribus ex Medicorum commentariis exemplis probari posset apoplextica, paralytica, porosa, febribus superveniente symptomata truculente Febres continuarum species induentes comitata *f)*. Sic in nonnullis ægrotantibus circum quartum primariae accessionis paroxysmum, ubi accessiones valde anticiparunt, contingit, ut profundiore somno naturali & tempore apyrexias sensu stuporis, ita ut capitis insolitam stupiditatem conquererentur, affligantur *g)*, quibus frequentes vomitiones enormes, anxietates præcordiorum intollerabiles, dolores cardialgici, erysipelata præsertim in capite, syncopæ, deliria quasi phrenitica, cephalalgiae atrocissimæ convulsiones, surditates & abscessus aurium obveniunt, quæ truculenta symptomata, nisi congruis occurra tur remedis, pertinacissima haud raro fiunt, consequiturque vera apoplexia inmedicabilis.

d) Per se jam pericolosum & curatu difficillimum pronunciavit Cl. SCHACHT Libr. cit. Sect. I. Cap. IX. §. 4.

e) Vid. ea, quæ §. I. not. a. disputavimus.

f) Magna hic patravit Cl. MORTON, ubi protiformem intermittentis & continuæ Febris indolem fuse exposuit & morborum historias illustravit. Exercit. I. Cap. IX. & Exercit. II. Cap. II.

g) Vid. Cl. WERLHOFF. *Obs. de Febribus*, Sect. I. §. I.

S. XXXVII.

Curatoriæ indicationes in Febre nostra eluent ex habita ratione diversarum causarum (§. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV.), a quibus proxima spasmodica scilicet diathesis fibrarum generis nervosi producitur & sustentatur. Methodus medendi in hoc morbo postulat remotarum (§. XXVIII.) & antecedentis cause (§. XVIII. XIX. XX.) considerationem, iisdem enim vel sublati vel correctis proximam (§. XXVI.) tollere aut minuere & mitigare imminensque vita periculum amoliri dabitur. Sicuti autem in tota hujus pseudoandrochinæ Febris (§. III. IV.) s. sporadicæ (§. XVII.) s. epidemicæ (§. XVIII.) modo remissior modo validior turba observatur, quæ ægrum assidue lacessit; ita perpetuo anceps prognosis est, vel enim leviora continua remittentis accidentia fistit *benigna*; vel præcipiti magis cursu desævit *pernicioſa*; ac periodis tum vagis & incertis morbi ferocia, terrificisque symptomatibus male plectuntur ægotantes.

S. XXXVIII.

Si igitur Medicus in principio morbi accitus, accidentia morbi *benigna* (§. XXXVII.) animadverteret, in paroxysmo Febris non admodum soporoſo, temperantibus, reficientibus ac leniter diapnoicis, nempe Potionibus ex aquis florum Sambuci, Rubi Idæi, Cornu Cervi citrato, Nitro antimonio diaphoretico non abl. Oxy-melle simplici, Syrupo Rubi Idæi edulcoratis uti consue-

tum est, ut calor moderetur & crisis accessionis exeuntis promoveatur. Remittente jam Febre, si post accuratum examen institutum deprehensum fuerit, quod primæ viæ copia sordium repletæ sint, indicatur harum primo digestio & ad exeundum apta mobilitas cum Salibus mediis, nempe Sale Polychresto e Sulphure & Nitro parato, Tartaro Vitriolato &c. solut. Lapidibus Cancrorum, Antonio diaphoret. non abl. & Nitro maritatis, deinde *evacuatio* per alvum lenissima cum Pulpâ Tamarindorum Lactis Sero soluta, Salibus laxantibus, ut Seignette &c. Mannatis aliisque similibus remediis, quæ neque fervorem & raptus perversos, neque strictam deinde alvum inducere solent; vel *enematibus demulcentibus* injiciendis, largiter nitrosis. Hisce præmissis,exeunte & in remissionem observabilem terminato paroxysmo domandi proximi paroxysmi ergo, Corticem Peruvianum b) probe electum ac subtilissime tritum optime in substantia, quam minime aliis commixtum, ad drachmam integrum pulveris altera quavis hora exhibere necesse est, ut instantia symptomata pernicioса averterentur vel minuerentur, ac recidiva præcaveatur. In incremento & statu (§. X.) autem paroxysmi usus Corticis removendus, ejusque loco: potio temperans reficiens ac diapnoica supra memorata, five alia ejusdem tenoris, reiteranda. Si nullo signo certo deprehendatur vias primas sordibus repletas esse, talibus scilicet, quæ a prægressæ diætæ ratione assumitorum vitiosa (§. XVIII.) cumulatæ sint studendum est, ut intus generatæ noxæ ab epidemio aëris vitio (§. cit.) obtundantur, infringantur alteratæque jam subducantur. Hinc in accessionum remissione, Corticem Peruvianum, Floribus Salis Ammoniaci, Rheo, Nitro ac Camphora commixtum præbere conducit. Ceterum curandum est, ut statim finita accessionis crisi linteamina febricoso halitu polluta substitutis purioribus permutentur.

¶ Magna est inter Authores dissensio, num in hac Febre Corticis maturus usus proficuus sit, nec ne, qui ex solis intermittentibus continuo nexus junctis copulari existimant, utique Corticem suadent, e. gr. JLL SYDENHAM. & JLL VAN SWIETEN locis citatis Damant Cel. MEAD. Min. & Pract. M. l. c. & Cel. SAUVAGES l. c. Gen. IX. § 2. admitunt tamen in ea specie, quam Tritaeophilum deceptivum appellat Gen. X. Spec. 2. Secundum Cl. TORTI, qui Ther. Spec. Libr. V. Cap. V. Corticem in his Febris laudat, cuiusque sententia facile nostrum calculum apponimus, cum, si quæ alia, certe nostra Febris facilissime in veram continuam & ardenter abeat, cui metaschemati præverenda omnes vires intendenda sunt, confirmantur hæc eis, quæ docte proponit Cl. WERLHOFF. Obs. de Febris l. c.

§. XXXIX.

Quodsi vero ingenium morbi videatur malignum perniciosis accidentibus (§. XXXVII.) stipatum, ac bene judicatis orgasmi & vergentis naturæ indicationibus, prava periculofissimaque symptomata (§. XXXVI.) impense febricitantem, stupefactum & quasi balbutientem aut apoplectici instar immobilem, stertentem & soporofum comitantur i), aut urinæ vitium (§. XIII.) in conspectum veniat, proportio violentiæ insultuum expectandorum cum viribus corporis & valetudine reliqua est conferenda, consiliumque de Febre velociter fuganda ineundum, quo instans adfectus periculosus avertatur apoplecticus. Quare ad plethoram, si necesse est, imminuendam, & spasmorum impetum frangendum, larga Venæ sectio administrata, Cantharides ad furas & nucham sunt admovendæ, ac simul, dum paroxysmus urget, si quid maligni subesse ex virium magno lapsu actionumque debilitate cognoscatur, illi in viscando, incraslandoque prius deinde educendo studeatur. Hoc scopo juvabunt absorbentia ex regno animali, nec omnino gelatinosa, nec omni orbata gelatina, sed parte ejus ablata porosita-

tem adepta, quæ & impuritatibus inviscandis iisdemque
educendis idonea sunt. Talia junguntur cum Antimonicio
diaphoretico non abl. Liq. Cornu Cervi succinato, præbean-
turque cum vehiculo Aquarium destillatarum, Flor. Thi-
liæ, Melissæ vel similium, juncto pauxillo Liquore Ano-
dyno-mineralis Hoffmanni & Syrupo granorum Kermes
q. f. ad gratiam; aut si magis arrideat, subinde offeratur
modicus haustus ex Julapio quodam concinnatus ex Aquis
destillatis diapnoicis & refrigerantibus cum analepticis,
ut Flor. Sambuc. Rub. Idæi, additis Syrup. Rub. Idæi,
Cerasorum nigrorum, quin Oxymelle simplici, Succo
Citri recentis ac Nitro, quippe quibus crasis sanguinis
continetur & resolutio nimia impeditur. Postea extra
nimii orgasmi tempus, ineunte nempe accessionis decli-
natione, certum fidumque istud remedium antipyreticum,
Corticem puto Peruvianum ^{et} ocyus, ubi ruens hora
urget, ad drachmam integrum pulveris alcoholisati pro-
pinandum, ac altera quavis hora continuandum, quo
gravis iste & increscens futurus paroxysmus; qui mœrbus
est sui generis celerrimus ac periculosis, avertatur, na-
turæque robur addatur, lento corrigatur, noxiū motus
prævertantur, orgasmus in herba suffocetur, & viscida
dyscrasia febrilis solvatur. Hanc efficaciam specificice fe-
brifugam Cortex Peruvianus probe electus, cui par non
datur in colluvie febrili solvenda, experientia suffragante,
tuto exserit, colluvie omnigenæ farcinam quam fa-
cillime omnium subigit & suo demum consortio excutit
& detrudit, hinc absque hac in Febribus continuais pa-
roxyzantibus (§. IV.) Syphi faxum volvis, redivivusque
mœrbus recidivusque labor te continuo versabit vexa-
bitque.

ⁱ⁾ Quales historiæ leguntur apud CL. TORTI Ther. Spec. Lib. IV.
Cap. II. pag. 219. seqq.

A) His in casibus fere divinum Corticem dixeris, cum ex **Jl. HAE-**
NII experimentis demandæ Febrium malignitati sit aptissimus, vid.
Eius *Ratio Med.* Part. III. Cap. I. quantum & in subcontinuis ma-
lignantibus profuerit videre est apud Cl. **TORTI** *l. max cit.*

§. XL.

Declinata aut consopita duntaxat accessione & positis
in tuto ægri rebus conduit Corticem, licet in refractio-
ni dosi, nempe omni trihorio ad drachinam dimidiā
per aliquot dies exhibere, ex quo usu, prophylaxeos
causa, continuato, radicitus denique avellitur & ita ex-
tirpatur morbus, ut nullum possit amplius emittere sur-
culum; neque hoc medicamine desistendum est prius,
quam paroxysmi fugati sint penitus & æger cum sanitate
in gratiam rediisse videatur; id quod secundum **WERL-**
HOFFIUM *b)* ex eo cognoscitur, si pulsus æquabiliter per-
petuo bonus est, lingua sana, urina, qualis per sanita-
tem confueta, vel solito limpidior aliquantum & copio-
fior, appetitus naturalis vel naturali acrior, nullus do-
lor, nulla functionis turbatio, quæ sub Febre acciderunt.

*b) Lib. cit. Seçt. V. §. VIII. præsertim vero & æquabilem transpira-
tionem urget, bona valetudinis indubium signum.*

§. XLI.

Supereft Febre jam superata, ut sollicite præcaveat-
ur & præscindatur omnis recidivæ occasio. Faciunt au-
tem illam & facilius quoque, quam morbi initio eadem
caußæ, quæ & priorem Febrem induxerant. Victus in-
congruus & nimius, aër humidus & frigidus, iracundia,
moeror, terror, fontium porro mineralium potus minus
provide institutus, itemque purgantia, præfertim valen-
tiora, quæ, cum non sine generis nervosi vellicatione &

tractione agant, hominibus a Febre nuper curatis data irritatione sua, qua villos intestinales vellicant, & ad motus tam secretorios quam excretorios accelerandos extimulant, facile febriles motus medicamentis vix refranatos, denuo concitare, & ita mediate Febrim revocare valent.

§. XLII.

Studendum vero præcipue digestioni ciborum laudabili bonæque chylificationi. Sumatur post cibum medicamentum stomachicum, sc. Elixir quoddam ephracticum temperatum, vi tonica gaudens, ex Extractis amaris Chamæneli, Absinthii, Gentianæ, Centaur. minor. Cortic. Aurantiorum & similibus ab omni ævo in usum ductis, cum Aqua Menthae sine Vino paratum *m*). Quin Vini generosi modicus usus instar omnium salutaris esse potest, si cætera rite se habeant omnia. Præterea æger restitutus a morbo, quam primum fieri potest, moderato utatur motu in aëre liberiori puriorique.

m) Quin & roborandi quoque scopo *Cortex Peruviana* laudes suas tuebitur, hanc enim ei vim tribuant recentiorum experimenta quotidie fausto successu instituta, vid. Cl. SULZER Thesæ de *Cort. Peruv.* Argent. 1763. Thes. XI. pag. 21.

§. XLIII.

Coronidis loco sequentia adnecto consideranda:

- a) *Cuthartica* lenissima antiphlogistica (§. XXXVIII.) indicata in principio quidem morbi locum inveniunt; purgantia autem fortiora, cum a circumferentia ad centrum ducant, & spasmos adaugeant. noxia sunt; dormientem enim in corpore hostem magis adhuc excitant, spiritus vero dissipant, viresque ita jam tum

debiles, quæque hoc in affectu maxime conservandæ, magis etiam debilitant & prosternunt, sique parti afflictæ afflictionem addunt, merito hinc suspecta sunt, ac releganda potius & proscribenda quam præscribenda. Quodsi tamen alvus admodum obstructa sit, lenientia, uti Cremor Tartari, Salia media, quæ alvum apertum retinent, particulisque heterogeneis pandunt foræ, admitti possunt, vel in horum locum substitui poterunt *clysteres*, caude tamen ac provide, & ne quid nimis; quæ omnia a prudentia Medici juxta ægri constitutionem aliasque circumstantias accurate moderari & in usum vocari queunt ac debent.

2) *Cum Vomotoriis* in Febre nostra caute mercandum est. Cum enim sub rigore febrili (§. VI.) & strictura partium extremarum sanguis versus parenchymata nobiliora copiosius reprimatur, fieri non potest, quin viscera præsertim sanguinea, hepar in primis & lien, & quæ illis interjacent partes, solito majori obruantur sanguinis copia, qua demum lacescitæ fibræ ad fortioriem extimulantur oscillationem; hinc emetica facile inflammations, gravissimas suffocationes, pectorisque oppressiones a strictura & convulsione nervorum circa præcordia potius, quam a simplici congectione humorum intra vasa, aut colluvie in ipso ventriculi alveo squalente per consensum procurare valent. Quapropter si Febris a cruditatum biliosarum vel faburræ viscido-acidæ copia oborta sit, reliquis conspirantibus, vomitum criticæ evacuationis vim exferere posse, haud abnego. Quodsi vero malum altius, nempe ex viscerum profunda labè humorum sanguineorum corruptela repetenda sit, vomitus haud sufficere poterit ad istam caussam evellendam, sed potius motibus congettoriis ansam præbet perniciofis. Qui igitur in tali casu vomitoria

mitoria exhibet, spasmis superaddit spasmos, & oleum igni adfundit, fatalemque successum non morbi malignitati imaginariæ, sed perversæ methodo imputare debet n). Posset ratiocinium simile applicari ad

- 2) *Venæfæctionem*, si vacaret. Ventilationes sanguineæ per Venæfæctionem, non nisi casu eminentis admodum plethoræ commotæ, ubi major Febris præsentia, quam malignitatis suspicio adeat, ac status sanguinis ad coagulationem magis quam resolutionem vergit, hinc inflammationis fientis aut jam factæ s. metuendæ apoplexiæ indicium animadvertisit, sunt adPLICANDÆ o). Quod si itaque Venæfæctio e re esse ducitur, fiat in prima morbi accessione & quidem largior, ac in casu metuendæ apoplexiæ fæctio venæ jugularis s. raninarum instituenda. Quando autem vires multum exhaustæ vacillant, ea abstinentendum esse duco.
- 2) Egregia sunt, quæ de vomitoriorum usu s. potius abusu differuit
JLL. DE HAEN. Rat. Med. Part. I. Cap. II. eaque & hic aptum inveniunt locum.
- o) Venæfæctio ex continua natura ut plurimum necessarium esse, lumbis concedo, vid. OOSTERDYCKSCHACHT *Instit. Med. Præct.* I. c. Modo autem, ne quid nimio ante oculos Medicus habeat; enim RIVERIUS *Prax. Med.* Lib. XVII. Sect. II. Cap. VII. putridarum febrium methodum curatoriam hoc quadrare monet.

S. XLIV.

Superfunt expendenda *Symptomata emergentia*, ut hæmorrhoides coecæ, tenesmus, alvi adstringio, aurium tinnitus, surditas, temulentia, rheumatismi, tusses, diarrhoeæ, passiones hypochondriacæ, scorbutus, febris lenta, aliaque indaganda, quæ autem ob evitandam prolixitatem silentio præterire cogor, eaque cum longa serie

D

apud Authores prácticos , quorum plures adduximus ;
aliorumque deducta reperire detur , liceat te , B. L. , ad
egregia horum Virorum opera remittere .

§. XLV.

Itaque hæc sufficient , quæ de proposito themate pro
ingenii modulo differere hac vice studui , ne limites Dif
fertationis transcendam . Interim DEO T. O. M. pro
præstito suo auxilio humillimas persolvo gratias , cui &
hunc laborem , & omnes reliquos meos conatus , com
mendo , quo saluberrimus ac speratus obtineatur

F I N I S.



Strasbourg, med. Diss. (17. Hirsche
Huth (?)



WMA
VD18



B.I.G.



TATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
IBUS CONTINUIS
ROXYZANTIBUS 6
SEU
MITTENTIBUS EXTENSIS
QUAM
MMI NUMINIS AUSPICIO
CONSENTIENTE
SA FACULTATE MEDICA
GRADU DOCTORIS
JE IN ARTE SALUTARI HONORIBUS
IRIBUS ET PRIVILEGIIS
IMPETRANDIS
H. L. Q. C.
XXIX. AUGUSTI A. MDCCCLXXI.
EDITORUM EXAMINI VENTILANDAM SISTIT
AUCTOR RESPONSURUS
CHRISTIANUS HERLE
VORMATIENSIS.
ARGENTORATI
Ex Officina Universitatis Heitziana.